

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



DISPUTATIO DECIMA
In Auguſtanam Confefſionem
continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

De

COMMUNICA-
TIONE OMNIPRAESENTIAE.

Propoſita

In Electorali Academia wittenbergensi,

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI, S.S. Th.

D. & Prof. Primario, Facult. Theol. Seniore,

Templi Arcis Praeposito, ac p. t.

Academiae Rectore,

R E S P O N D E N T E

M. PHILIPPO REUTZIO

Stetino - Pomerano.

Habebitur in Auditorio Collegii veteris

ad diem 30. Novembr.

WITTEBERGÆ

Typis Haeredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXVIII.



DISPUTATIO DE
In Augustinum Confessione

COMMUNICA

JACOBO MARTINI, S.S. Th.

OPUS

Typis Haereditariis WITTEBERGENSIBUS
Anno MDCXXVII





Continuatio.



Uæ Jesuitæ, & cum primis Becanus, in genere de communicatione Idiomatum contra nos disputant, hæcenus satis discussa sunt; Consequens nunc est, ut ad specialiora progrediamur, & quomodo idem Becanus omnipræsentiam & omnipotentiam humanitati communicatas esse neget, videamus & examinemus. Prementes autem vestigia Becani priore loco, & quidem hæc ipsâ disputatione, de omnipræsentia agemus.

THE SIS I.

UBI initio tenendum est, quid intelligamus per *Omnipræsentiam*. Non sanè nudam & otiosam *παρσσία* adessentiam ad creaturas, sive propinquitatem: sed *πλήρωσιν τῶν πάντων*, quæ in sacris literis describitur hisce phrasibus: *Ego Cælum & terram impleo*. Item de speciali præsentia: *Ego vobiscum sum: sum in medio vestri*: Inhabitabo vos.

II. *παρσσία* igitur est nuda *ἀλυσία* & adessentia sive propinquitas divinæ vel etiam humanæ naturæ ad creaturas, sine operatione accepta & considerata: Quæ verò ita non dari videtur: *πλήρωσις* verò *τῶν πάντων* nobis propriè est *omnipræsentia*: quâ Deus non tantum omnibus creaturis adesse dicitur, sed etiam illas conservare, gubernare, &c. ut ita ad essentia sive propinquitas & omnipotens operatio jungantur, & simul acceptentur, & *omnipræsentia* intelligatur, definiaturque *divina omnipræsens rerum omnium gubernatio & conservatio*, tanquam unus actus divinus, quo se Deus & præsentem facit, & simul præsens est creaturis, eas creando, conservando, regendo. Tum enim, quando Deus creaturas creat, conservat, regit, &

quidam in illâ & per illam actionem illis præsens est, sive adest, & ut illis præsens sit & adsit, necesse est, ut illas creet, conseruet, regat: Cum sine illâ Dei actione res non sint, & ad non Ens non detur præsentia.

III. Causa igitur faciens, ut essentia infinita sive immensa Dei adsit omnibus creaturis actu, est actio Dei: Essentia enim infinita divina facit tantum, ut possit adesse omnibus creaturis, huic autem potentiæ addit actum actio, nempe omnium rerum creatio & conseruatio.

IV. Cum ergo Ens non dicatur tale à potentiâ, quam habet ad esse, sed ab actu, per quem est in esse: Omnipræsentia utique non ita diceretur per nudam essentiam infinitam sive immensam, sed per actum sive actionem Dei, correlatum & terminum constituentem simulque rationem fundandi; sive fundamentum proximum superaddentem.

V. Hinc, quia relationes, cum primis in actionis categoria fundatæ, vel modum fundandi inde habentes, tam arctè cohærent, cum suo fundamento sive modo fundandi ut sine eo, neque esse, neque essentialiter considerari queant, fit, ut per actionem quoque definiantur, & sic simul in prædicamento relationis & actionis considerentur.

VI. Sic promissio divina est quædam relatio, & nihilominus rectè definitur per actionem: siquidem actualis relationis in actione fundatio (ut etiam aliarum) essentia in fundamento proximo sita est: sic emtio, venditio, locatio, conductio, &c. sunt relationes, quando nihilominus definiuntur, genus ex actione petitur, & per actionem rectè definiuntur.

VII. Sic licet in omnipræsentia sit quædam relatio; ea tamen non est in significato vocis omnipræsentia sine hoc fundamento proximo, nempe actione, quippe in qua eius essentia actu est.

VIII. Ut ergo affectiones & proprietates absolutæ definiuntur per formalem suam rationem, tanquam per genus, ut: *Tonitru est sonus in nubibus, propter extinctum ignem*: Sic relatio, sive relatum definitur per proximum suum fundamentum, in quo

quo totus actus relationis consistit, cum relatio, ut talis, propriè causas non habeat, sed illi fundamentum loco causæ est. Hinc etiam *Fides salvifica*, quæ, ut talis, relatio est, & nihilominus rectè per proximum suum fundamentum absolutum definitur, quod sit *notitia, assensus, & fiducia*: sic idem de promissione, & similibus jam modo demonstravimus.

IX. Quare hunc definiendi modum legitimum observantes, *omnipræsentiam* definimus, quod sit *actio divina, quâ Deus præsentè omnes creaturas conservat & gubernat*.

X. De omnipræsentia hæc, quando quæritur, an fluat ex essentiæ divinæ necessitate, an verò ex liberâ Dei voluntate: Non illud, sed hoc affirmandum censemus. Si enim est actio Dei in creaturas, & nulla talis actio est necessaria, sed omnis libera, sequitur etiam omnipræsentiam nequaquam necessariam, sed liberam actionem esse, à libera Dei voluntate pendentem, ita tamen, ut inter Idiōmata Majestatis divinæ propria rectè referatur, secundum illud Jeremiæ 23. v. 24. *An non cælum & terram ego impleo, dicit Jehova: & Esaia 66. v. 1. Sic dicit Jehova, cælum est solium meum & terra scabellum pedum meorum.* Et Esaia 40. v. 11. & seqq. Deus ipse de omnipræsentia ita differit, quod primum membra Ecclesiæ in sinu suo intimoque complexu gestet, & foveat: deinde pugillo suo aquas, & maria universa metiatur, cælos palmo suo dirigat, innumeros pulveris & arenæ acervos tribus digitis comprehendat, montesque omnes in statera & colles in bilance libret.

XI. Ex quo posteriore dicto rursus colligere est, omnipræsentiam hanc non esse *δεκτικὴν*, quæ capiatur, & ulla re concludatur, & sic passivam: sed esse *δεκτικὴν*, quæ capiat & omnes res complexu suo contineat, sicque activam esse, omnia complectentem, in omnia agentem & omnia conservantem: proindeque non esse ipsam Dei immensitatem, sive infinitatem, ut Jesuitæ cum Calvinianis sanniant, sed esse omnium rerum comprehensionem, gestationem, sustentationem, gubernationem.

XII. Hanc omnipræsentiam Majestatem, divinitati propriam, humanitati communicatam credimus, & in Augustanâ

nostrâ Confessione publicè asserimus, in articulo hoc tertio confitentes, *Christum ascendisse in caelos, ut sederet ad dextram DEI & perpetuò regnaret ac dominaretur omnibus creaturis.* Pudendus autem error est, putare, CHRISTUM in sua humanitate caelum ascendisse, ut divinitati regnum acquireretur.

XIII. Ut autem eò facilius ad objectiones Becani & Jesuitarum respondere queamus, distinguendum est 1. Inter actum primum ac κτήσιν possessionem, hujus Majestatis, hoc est, inter Majestatem ipsam, humanitati collatam sive communicatam: & inter actum secundum sive ejus χεῖσιν & usum plenarium. 2. Inter praesentiam humanitatis ad λόγον internam & inter praesentiam ad locum sive creaturas externam. 3. Inter diversos status Christi, secundum humanam naturam, nempe exinanitionis & exaltationis, *Phil. 2. vers. 7. & seqq. Item 1. Petr. 1. vers. 11.*

XIV. Dicimus ergo ac firmâ fide statuimus, quod unionem personalem statim comitata est cōmunicatio Idiomatum divinorum, & sic omnipotentiae: proindeque ab ipso statim unionis personalis exordio natura humilior, id est, humana, sublimioris, hoc est, divinae, propria τῇ κτήσει possessione & actu primo habuit, & omnipotens fuit, potuitque operari, quae voluit in caelo & in terra, ac per ejusmodi operationem se praesentem facere & se exhibere omnibus creaturis, cum omnipotentia sit causa proxima proximi fundamenti omnipraesentiae, quod est divina ἐνέργεια & operatio in creaturas, sive omnipotentiae χεῖσιν & plenus usus.

XV. Statim ergo ab incarnationis momento Majestas πληρώσεως τῶν πάντων, & sic actus quoque secundus & plenaria χεῖσιν Majestatis divinae humanae naturae fuisset communicata, ipsaque fuisset actu ipso omnipraesens, si status exinanitionis non intervenisset. Quia autem ille intervenit, à primo quidem incarnationis statim momento humana natura quoad actum primum hâc Majestate fuit praedita, propter eamque intrinse-

trinsecus λόγῳ ubique locorum fuit præfenti prima, omnipræfenter autem & Majestaticè propter intervenientem exinanitionis statum non fuit operata, ac sic omnipræfens non fuit: sed plenariam hanc Majestatis usurpationem demum post ascensionem per sessionem ad dextram Dei est consecuta, ut ex allegatis testimoniis est manifestum.

XVI. His ita prælibatis & suppositis, non erit difficile, Becano & cæteris Jesuitis, hanc Orthodoxam doctrinam oppugnantibus, respondere. Sic ergò scribit Becanus cap. 7. de Comm. Idiom. q. 4. §. i. *Affirmant Lutherani, humanitatem Christi per communicationem Idiomatum esse ubique. Sicut enim generatim docent, omnia attributa divina realiter esse communicata humanitati CHRISTI: Ita etiam speciatim attributum immensitatis seu omnipræfentia, communicatum illi esse: ac proinde Christum non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem esse ubique.*

XVII. Ubi primò notandum, nos non simpliciter asserere, humanam Christi naturam per communicationem idiomatum esse ubique, si nempe communicatio Idiomatum strictè acceptetur, ut cum unione personali convertitur. Nam concedimus quidem, omnia idiomata divina & sic Majestatem divinam per unionem hypostaticam & in illa communicatam esse humanitati, quoad actum primum & possessionem: Non verò quoad actum secundum & plenariam usurpationem, quam demum, ut diximus, per sessionem ad dextram Dei humana natura acquisivit. Cum igitur omnipræfentia sit actus secundus illius Majestatis, utique jam humanitati non nisi post ascensionem, quatenus jam in statu exaltationis sedet ad dextram Dei, ipsi tribuimus.

XVIII. Deinde etiam falsum est, nos immensitatem ita tribuere humanitati, ut omnipræfentiam: Nemo enim ex nostris dicit vel concedit, *humanam naturam esse immensam*, ut eam omnipræfentem esse dicimus. Rationem hujus dedimus in præcedentibus.

19. Pergit

XIX. Pergit Becanus §. 2. *Sed facile refelluntur. Primò ex dictis, quia nullum attributum divinum potest humanitati aut ulli alteri creatura substantialiter uniri aut communicari, ut probatum est. Id verò (respondemus) probatum nequaquam est, uti ea, quæ in præcedentibus disputationibus contra Jesuitam disputavimus, testantur.*

XX. Deinde, quia (inquit) ex scriptura constat, Christum secundum humanitatem non esse ubiq³, Joh. 6. v. 24. *Cum vidisset turba, quòd Jesus non esset ibi. Et Marci 16. vers. 6. Surrexit, non est hîc. 3. quia similiter constat, Christum secundum humanitatem mutasse locum, & nunc fuisse in utero materno, nunc extra uterum: Nunc in Judæa, nunc in Samaria, nunc in Galilea, nunc in Aegypto: postea pependisse in cruce, positum fuisse in sepulcro, resurrexisse, ad cælos ascendisse, quæ omnia manifestè docent, non fuisse ubiq³.*

XXI. Respondere possumus, omnibus illis dictis & argumentis nihil contra nos effici: Quandoquidem loquuntur de statu exinanitionis, in quâ concedimus, Christum secundum Humanitatem Majestatem divinam plenariè non exercuisse, nò omnia omni præsentè sustentasse, conservasse, gubernasse, & sic omnipræsentem fuisse.

XXII. §. 3. Aliam nostrorum adfert Becanus responsionem: Respondent (inquit) Lutherani, hoc solum colligi ex dictis, Christum non esse ubiq³, localiter & visibiliter: Esse nihilominus ubiq³, illocaliter & invisibiliter. Sed (replicat) hæc distinctio non juvat. Primò, quia ex illâ sequitur, Christum secundum humanitatem, in instanti conceptionis fuisse localiter in utero materno, & illocaliter in toto mundo: Ac proinde in utero conceptum esse localiter; extra uterum, illocaliter. Item, in cruce passum & mortuum esse localiter & visibiliter: In toto mundo, illocaliter & invisibiliter. Imò duplici modo conceptum esse in utero, & passum in cruce; semel localiter, & semel illocaliter. Nam si eo tempore, quo fuit localiter in utero & in cruce, fuit ubiq³, illocaliter & invisibiliter; necesse est fuisse etiam in utero & in cruce illocaliter & invisibiliter. Quæ omnia inaudita & absurda sunt. 4. Deinde distinctio illa non habet locum in animâ Christi pro eo tempore, quo fuit separata à corpore in triduo mortis.

Tunc

Tunc enim fuit nusquam localiter & visibiliter, sed ubicunq; tunc fuit, ibi fuit illocaliter & invisibiliter. At certū est, non fuisse tunc ubiq;, quia quando deseruit corpus, & descendit ad inferos, non mansit in corpore. Et similiter, quando ab inferis rediit ad corpus, non mansit apud inferos. Quomodo ergo potuit esse ubique? Si enim illocaliter & invisibiliter discessit à corpore, certè illocaliter & invisibiliter non mansit in corpore. Et rursus, si illocaliter & invisibiliter rediit ad corpus, certè illocaliter & invisibiliter non mansit apud inferos.

XXIII. Sed respondemus nos ad primum, illa absurda nequaquam sequi. Quandoquidem illorum, qui ita distinguunt, mens non est, in statu exinanitionis, Christum secundum Humanitatem fuisse uno instanti localiter in uno ubi & loco V. G. in utero materno, & simul illocaliter implevisse cœlum & terram: Nequaquam hoc volunt nostri Præceptores, sed potius docent illam localem præsentiam, qua Christus usus est in statu exinanitionis, & diebus carnis suæ, non tollere illam omnipræsentiam, quæ partim ex Unione hypostatica, partim ex exaltatione ad dexteram Dei jam in statu exaltationis ipsi tribuitur, utpote qua jam omnia implet, conservat ac gubernat.

XXIV. In statu quidem exinanitionis λόγος per unionem hypostaticam non suscepit Humanitatem in circumscriptum locum, sed elevavit illam in se ipsum illocalem & super omnem locum, adeo, ut nullibi etiam in statu exinanitionis fuerit λόγος quin incarnatus, & sic in carne suâ fuerit, & nullibi ullam rem sibi præsentiosem habuerit, quam carnem suam, illaq; sic secundum internam præsentiam semper ubiq; locorum præsentissimè adfuerit λ'γω suo: Verum illam propterea omnibus creaturis externâ præsentiam exhibitam fuisse, ita ut in illis fuerit, & verè ac realiter in illis esse, à nostris dicta fuerit, id Bellarmino nequaquam concedimus. Sic enim hæc de re Hunnius in Comm. in Ment. cap. 26. part. 1. loc. Comm. p. 824. VI. differit. *Sexto Christum vera ac solidâ translatione locali à discipulis suis in die ascensionis discessisse, juxta hoc, me verò non semper habetis. Quod de præsentia visibili, secundum quam ministrari ei ac benefieri poterat, intelligendum esse supra monuimus.*

B

poris

poris finitam ac dimensam quantitatem, unum locum post alterum e-
vacuavit ac deseruit, donec nubis interventu ab oculis Apostolorum
subductus in regnum caeleste transferretur. Secundum quam presentiam
localem ac visibilem nunc non adest, sed expectatur venturus, plane ut
dicunt Angeli: Hic Jesus, qui assumtus est a vobis in caelum, sic veniet, quem
admodum vidistis eum euntem in caelum. Hae v. absentia localis, ut tantum
locati absentiae opponitur, sic alteram illam presentiam tollit minime, quae
in hypostatica Unionis mysterio fundata est. Etenim ut physica locatio-
ne erat Christi humanitas subiecta locis, sic non ista physica locatio-
ne, quam cum Petro communem obtinebat, sed modo alio singulari, &
plusquam supernaturali vereque divino assumta ea est intra unigeniti fi-
lii Dei hypostasin illocalem, inque ea universa loca locorumque distantias
inenarrabiliter transcendit. $\lambda\omicron\gamma$ enim assumpsit illam non in aliquo
locum sive terrenum sive caelestem, sed admirandae huius assumptionis
terminum suam hypostasin esse voluit, in qua subsisteret caro, alias
propria personalitate carens, unita vero $\tau\omega$ $\lambda\omicron\gamma\omega$ inabsenter & indi-
stanter, ut ubi tandem sit $\lambda\omicron\gamma$, non habeat sibi creaturam aliam
presentiorem hac Humanitate, utpote quam intra intimum & pro-
fundissimum complexum totius $\psi\omega\sigma\iota\sigma\iota\omega\varsigma$ sua, plusquam Angelica
mens cogitare possit ardentissime sibi presentissimeque copulatam habet, ubi
nulla cogitari debet $\Delta\epsilon\iota\sigma\iota\omega\varsigma$, cuius vi usquam existat δ $\lambda\omicron\gamma$ ex-
tra carnem suam, quandoquidem $\psi\omega\sigma\iota\sigma\iota\omega\varsigma$ eius $\delta\lambda\iota\kappa\omega\varsigma$ incarnata
ipsius quoque carnis facta hypostasis est, omni plenitudine deitatis in
ea sic habitat, ut ejuscemodi Nestoriana dissolutio & existentia verbi
extra carnem somnari nequeat, nisi impie statuerimus, $\lambda\omicron\gamma\omega\upsilon$ uno
tantum loco, ubi caro per essentiae proprietatem versatur, habitare in
illa, in caeteris vero locis innumeris totum tota hypostasi totaque pleni-
tudine Deitatis extra suum illud assumtae carnis habitaculum versari,
quod verè esset in carnationem verbi circumscribere unius loci angu-
stis, in caeteris vero locis ubi $\lambda\omicron\gamma$ in carne non habitat, profiteri
 $\lambda\omicron\gamma\omega\upsilon$ non incarnatum, quandoquidem unio $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\eta$ inhabita-
tione Deitatis $\lambda\omicron\gamma\omega\upsilon$ in carne describitur. Quare ubi non habitat in
carne, sed constitutus est extra illam, ibidem neque incarnatus esse
aut homo esse statuitur. Hae itaque Humanitatis existentia sive $\psi\pi\alpha\sigma\iota\omega\varsigma$
 $\xi\varsigma$ in ipsa purissima Deitate verbi non solvitur ullius interventu loci
aut

aut distantia. Quin humanitatem suam filius Dei habet sibi unitam, non circumscriptivè in hoc vel in illo duntaxat loco, sed citra ullius loci intuitum sic omnipresenter unitam, ut post factum incarnationem, neque λόγος extra carnem sit, nec caro extra λόγον. Et præterea dictum sæpè est, Christum jam in statu Majestatis sedere juxta naturam exaltatam in dextrâ gloriæ Dei & implere omnia, & præsentem esse in medio nostrum. Et esse nobiscum usque ad finem seculi, & dominari in medio inimicorum suorum. Et præstò esse in medio militantis Ecclesiæ in his terris. Et in manibus habere cunctas creaturas operag, manuum Dei. Et pedibus suis universa citra ullius rei creatæ exceptionem, subiecta, quemadmodum alias copiosius ista declarantur.

XXV. In quibus verbis probè notandum est, quod Hunnius concedat & expressè doceat, Christum secundum humanam naturam localiter & visibiliter ascendisse in cælum: Sicq; ipsum in extremo judicio rediturum esse. 2. Verum absentiam illam localem, qua jam propter illam ascensionem nobis abest, tantum opponi præsentia locali, proindeq; alteram illam quæ in hypostaticâ Unione fundata est, nempe illocalem, non tollere. 3. Notandum, quod dicat, illam illocalem omnipræsentiam non simpliciter consistere, sed solummodò fundatam esse in unione personali, quatenus nimirum tam arctè Unita sit humanitas Divinitati, ut hæc nullam aliam rem præsentiozem habeat humanitate illa, proindeq; etiam in statu exinanitionis λόγος ubiq; fuerit in carne suâ: quibus describitur præsentia humanitatis interna ad λόγον: Verù omnipræsentiam ad Creaturas, quæ πλήρωσις τῶν πάντων est, demum subsequutam esse in statu Majestatis, quo juxta naturam exaltatam sedet ad dexteram Dei, & omnia implet. Fundamentum ergò omnipræsentia statim in incarnatione jactum est, complementum verò & res ipsa per exaltationem in statu Majestatis ac sessione ad dexteram Dei est subsequuta. Falsum ergò est, & nullo modo sequitur ex nostris hypothesebus, Christum secundum carnem in statu exinanitionis simul fuisse in utero & extra uterū in locis omnibus: sed hoc sequitur carnem Christi simul fuisse in utero localiter

liter & illocaliter in aſumente λόγῳ. Quia licet omnibus locis
etiam extra uterum fuerit præſens; inde tamen non ſtatim licet
inferre, quod humanitatem ſuam neceſſario omnibus creaturis
præſentem fecerit, cum ad illam omnipotentiam non tantum
unio perſonalis, ſed ſeſſio quoque ad Dexteram Dei requiratur.

XXVI. Animam Chriſti, in triduo mortis conſideratam,
quod attinet, non quidem fuit illa in loco aliquo, ut corpus, cir-
cumſcriptivè, fuit tamen alicubi definitivè, ſicque revera non
ubique. Quod libenter concedimus: interim tamen manſit
illa etiam in illocali præſentia, quatenus manſit unita perſona-
liter cum λόγῳ. Nam licet vinculum naturale animæ & cor-
poris per mortem fuerit ſolutum, nequaquam tamen vinculum
& unio perſonalis ſoluta fuit: quare etiam in triduo illo mortis
ubique præſens λόγῳ ſibi præſentiſſimam hanc habuit ani-
mam ubique. Siquidem uti nullibi λόγῳ fuit extra ſuum
corpus, ſic etiam nullibi fuit extra hanc ſemel aſumptam ani-
mam ſuam.

XXVII. Pergit S. S. Becanus: *Varia ſunt Lutheranorum ob-
jectiones. Prima ſumitur ex vi unionis hypochaſtica, hoc modo. Quan-
do due res inſeparabiliter inter ſe unitæ ſunt, tunc ubi eſt una, ibi ne-
ceſſe eſt alteram eſſe: alioqui, ſi una eſſet alicubi, ubi altera non eſt, jam
non eſſent inſeparabiliter inter ſe unitæ: ſed humanitas Chriſti &
perſona verbi ſunt inſeparabiliter inter ſe unitæ: Ergo ubi eſt per-
ſona verbi, ibi eſt humanitas Chriſti. At perſona verbi eſt ubique,
Ergo & humanitas eſt ubique. Et confirmatur ex Damasceno libro 3.
cap. 3. ubi ait, humanitatem & perſonam verbi non ſolum inſeparabi-
liter, ſed etiam indistanter unitas eſſe. Itaque una non diſtat ab alia. Di-
ſtaret autem, ſi una eſſet ubique, & altera in certo tantum loco. Reſpon-
deo major falſa eſt, ſi nihil aliud addatur. Nam unio duarum rerum in-
ſeparabilium & indistantium non requirit, ut ubicunq; eſt una, ibi ſit
altera: ſed ſolum, ut alicubi ſint ſimul, & non diſtent. Si enim nullibi eſ-
ſent ſimul, jam eſſent ſeparatæ & diſtantes. Hoc patet primo in anima
& capite Chriſti, quæ inſeparabiliter & indistanter unitæ ſunt: Et ta-
men non ubicunq; eſt anima, ibi eſt caput, cum anima ſit in pedibus,
ubi caput non eſt: ſunt tamen alicubi ſimul, & non diſtant, quod ſatis
eſt ad*

est ad unionem. Secundo, idem patet in Sole & orbe solari, quæ eodem modo unitæ sunt: Et tamen Sol non est in toto terra circuitu, sicut est orbis solaris.

XXIIX. Respondemus, quod rectè moneat Becanus, majorem falsam esse, si nihil amplius ad eam addatur. Omnino enim nos illi aliquid addimus, & eam sic formamus: Quando duæ res inseparabiliter ita sunt unitæ, ut una in alterâ habitet totâ plenitudine suâ & sic totaliter, *σωματικῶς*, tanquam in proprio suo corpore, tum illa, quæ in alterâ habitat, non est extra illam, in quâ habitat. Huc jam quadrat exemplum animæ & corporis, Anima enim ita est unita cum corpore inseparabiliter, ut in ea totâ suâ plenitudine & sic totaliter tanquam in suo proprio domicilio ac corpore habitet, ergo neque est extra corpus, nisi per mortem à corpore separetur, & unio illa tollatur: sic etiam dicimus, quia λόγος ita inseparabiliter est unitus cum carne sua, ut in illa habitet tota sua plenitudine *σωματικῶς*, tanquam in proprio suo corpore; utique nullibi extra eam esse potest. Quod attinet præsentiam animæ in capite & in cæteris membris, nihil illa facit ad rem. Nam anima non habitat in capite totâ suâ plenitudine, & sic totaliter, cū in eo habitet tanquam in parte sui corporis: ideoque non tantum est in illa, sed etiã in cæteris partibus, cum non cum parte tantum partialiter, sed etiam & præcipuè cum toto corpore totaliter sit unita: proindeque non cum capite, sed cum toto corpore est unita personaliter & personam unam constituit, propterea tota & tantum in toto corpore est, non etiam extra corpus. Si ergo exemplum hoc quadrare debeat, tum necessum erit, ut fingatur, humanam naturam sese habere ad universum hoc, ut caput, cælum autem & terram, omnesque creaturas cæteras, ut corpus & membra, proindeque cum toto illo systemate divinam naturam unitam esse personaliter. Hoc enim stante figmento, divina natura non tantum erit in humanitate, tanquam in capite suo, sed etiam in cælo & terra, cæterisque creaturis, ut membris suis, cum non tantum cum humanâ naturâ, sed etiam cum cæteris creaturis omnibus sic fuerit personaliter unita, habitaveritque, non

tantum in humana natura, sed toto quoque hujus universi systemate *σωματικῶς*, hoc est, tanquam in proprio suo corpore.

XXIX. Verum hoc falsissimum est, & purum putum figmentum: Neque enim humanitas est caput universi: neque illa & hoc constituunt unum totum essentiali, faciuntq; unam naturam, neque etiam cum universo simul hoc, & humana natura personaliter unitus est λόγῳ, ut in utroque tanquam uno toto essentiali & integrali habitet; sed sola humana natura distincta & separatim existens ab hoc universo, est tantum personaliter unita λόγῳ, & in illa sola tota sua plenitudine habitat λόγῳ tanquam in suo corpore: Ergo nullibi in hoc universo extra hanc suam humanam naturam existere potest λόγῳ. Si enim alicubi ita sine humana natura & extra eam existeret λόγῳ, ibi personaliter existeret extra carnem: proindeque ibi tota persona esset non incarnata: sicque una eademque persona in uno loco, nempe in quo localiter inclusa est humanitas, esset incarnata; & in alio loco, in quo non existit humana natura, non esset incarnata, proindeque in uno duntaxat loco habitaret plenitudo Deitatis in carne Christi *σωματικῶς*, tanquam in proprio suo corpore: sed non totaliter, quia in alio loco etiam esset Deitatis plenitudo, sed extra suam carnem. Quod vero absurdum: Ergo totalis hæc divinitatis inhabitatio in carne, tanquam in proprio corpore, omnino requirit, ut ubicunque Divinitas hæc est, ibi sit in corpore suo & humanitate: Quemadmodum ubicunque est anima, ibi est in corpore suo, quamdiu, vivente homine, est unio essentialis & personalis.

XXX. Exemplum à Sole, & orbe Solari planè huc non quadrat: In illis enim neque unio essentialis neque personalis est: sed unio unius integri ex partibus integrantibus. Ubi experientia testatur, quod una pars non possit esse, ubi est altera, vel reliquæ: cum omne totum integrum habeat partes extra partes, & non partes se mutuò continentem.

XXXI. Becanus §. 6. ipse ad hoc simile sive exemplum respondet, inquiens: *Hoc exemplum de Sole non est ad rem, quia Sol non est unitus toti orbi solari, sed tantum parti: At humanitas Christi unita*

unita est toti verbo. Respondeo (addit) Hoc nõ obstat, quia etiam caput Christi unitum est toti animæ: Et tamen non ubicunque est anima, ibi est caput: Itaq; hæc regula tenenda est: Quando dua res totaliter & adæquatè inter se unitæ sunt, tunc ubi est una, ibi est altera. Quando autem non totaliter & adæquatè unitæ sunt, tunc una potest esse alicubi, ubi altera non est: Priori modo unitæ sunt superficies chartæ & albedo: Materia & forma Solis: Materia & forma aquæ, intellectus & voluntas angeli: Posteriori, caput & anima, Sol & orbis solaris, clavus & rota, finitum & infinitum.

XXXII. Sed respondemus nos, distinguendum esse inter unionis modos naturales & ordinarios, & deinde inter supernaturales, mysticos & extraordinarios: Regula allegata ut loquitur de unionibus naturalibus & ordinariis; ita quoque subiecta exempla illi respondent: Verum modus unionis hypostaticus, qui super omnem naturam & rationem ex ejusmodi regulâ, ex rebus naturalibus rationi convenientibus collectâ, mensurari nequit. Verum quidem est, quod natura humana per unionem illam non æqualis divinitati facta est, ut infinita existat; nihilominus per illam super omnem intellectum, super omnem quoque naturam, finitum factum est capax infiniti, ad eò ut tota plenitudo infinitæ Deitatis in finito corpore habitet, Deusq; & homo una persona subsistat. Dicere ergò possumus, quod Divinitas humanitati personali hac unione totaliter sit unita, & suo modo adæquatè, nempe respectu locorum, quatenus nulla locorum distantia facere potest, ut λόγος non totus sit in carne.

XXXIII. Pergit Becanus §.7. Dices 2. *Si persona verbi est alicubi, ubi non est humanitas, jam verbum alicubi est homo, & alicubi non est homo: quod est absurdum. Respondeo (addit Jesuita) non sequitur: Nam hæc dua propositiones sunt distinctæ. Verbum alicubi est sine humanitate, & verbum alicubi existens non est homo: Prior vera est, & bene sequitur ex illo antecedente: posterior falsa est, & non benè sequitur.*

XXXIV. Respondemus, quòd omninò hæc posterior conclusio falsa ex hypothese Jesuitarum sequatur: sic enim argumentamur:
Ubicun-

Ubicunque est λόγ & sive persona τ' λόγ extra carnem,
ibi est totus extra carnem,

Atqui λόγ & in infinitis locis est extra carnem, Ergò
In infinitis locis est totus extra carnem.

Qui in infinitis locis est totus extra carnem, ille in infinitis
locis non est incarnatus:

Atqui (juxta Becanum & cæteros Jesuitas) λόγ & in infi-
nitis locis est totus extra carnem, Ergò

λόγ & in infinitis locis non est incarnatus. Rursus:

Qui in infinitis locis non est incarnatus, is in infinitis locis
non est homo;

Atqui λόγ & sive persona τ' λόγ in infinitis locis non
est incarnata, Ergò

In infinitis locis non est homo. Ergò bene sequitur utraque
falsa conclusio ex hypothese Jesuiticâ: *Et personam verbi esse
alicubi, sine humanitate, & verbum sive personam verbi alicubi non
esse vel existere hominem.*

XXXV. Porro §. 8. ejusmodi argumentum, ex commu-
nicatione Idiomatum desumptum, sibi opponit Jesuita: *Verbum
est ubiqz, Christus homo est verbum, Ergò Christus homo est ubique,
Ergò & humanitas est ubiqz. Nam sine humanitate non est homo, &
confirmatur, quia Christus ubiqz est homo, Ergò ubiqz habet suam hu-
manitatem. Si enim alicubi non haberet suam humanitatem, jam ali-
cubi esset homo sine humanitate quod est absurdum.* Respondet Je-
suita: *Prior consequentia: Ergò Christus homo est ubique, concedi-
tur. Nam ut Christus homo per communicationem idiomatum dica-
tur esse ubiqz, satis est, quod persona Christi sit ubique tamen si huma-
nitas non sit ubiqz. Unde neganda est posterior consequentia: Non e-
nim sequitur, Christus homo est ubiqz: Ergò humanitas est ubiqz: nam
Christus homo non est ubiqz, ratione humanitatis, sed ratione persone
verbi: sicut etiam non sequitur: Christus homo est æternus: Ergò hu-
manitas est æterna. Non enim est æternus ratione humanitatis, sed ra-
tione persona.*

XXXVI. Respondemus, licet ad hoc antecedens: *Chri-
stus homo est ubiqz* non statim sequatur illud consequens: *Ergò
humanitas*

humanitas est ubiq₃: Tamen omnino hæc consequentia certa est: Ergo *Christus homo non est extra carnem ubiq₃*. Quandoquidem, contradictio esset in adjecto: *Christum hominem esse ubiq₃*, & *Christum hominem tantum in uno ubi esse in carne, in infinitis vero ceteris ubi, esse extra carnem*. Ut huic, *hominem esse ubiq₃*, manifestè contradicit illa, *hominem non esse in humanitate ubiq₃*, sive hominem esse extra humanitatem ubique. Cum homo sine humanitate & extra humanitatem nullo modo sit homo, proindeque non sit homo ubique.

XXXVII. Aliam addit Becanus responsionem §. 9. *Illæ autem propositio (inquit) Christus ubiq₃ est homo, distinguenda est. Nam si illa particula UBIQUE cadit supra prædicatum HOMO, tunc falsa est propositio. Ratio est quia prædicata supponunt pro formali significato, Ergo homo quando est prædicatum, supponit pro humanitate. Cum ergo dicitur, Christus ubiq₃ est homo, sensus est, Christus ubiq₃ habet suam humanitatem. Quod falsum est: sicut etiam falsum est dicere, Christus est ab æterno homo, id est ab æterno habet suam humanitatem. Si autem particula ubique conjungitur præcisè cum subjecto, tunc admitti potest illa propositio: Christus ubiq₃ est homo, id est, Christus, qui est ubique, est homo: vel Christus ubiq₃ existens est homo: Hinc patet eodem modo distinguendum esse hanc propositionem, verbum alicubi non est homo: Nam vera est hoc sensu: verbum alicubi est sine humanitate, vel verbum alicubi non habet suam humanitatem. Falsa est hoc sensu: verbum alicubi existens, non est homo: similes sunt hæc due: Anima alicubi est sine capite, & anima alicubi existens non est forma capitis. Hæc enim falsa est, illa vera.*

XXXIX. Respondemus, inter nos non volvi quaestionem; quomodo propositio hæc, *Christus ubiq₃ est homo*; pro diversa ratione, respectu & applicatione vocis UBIQUE distinguui, variari & multiplicari possit. Sed unicè de hoc est controversia: An *Christus sit homo ubiq₃*, ita ut particula UBIQUE cadat super prædicatum *Homo*, & æquipolleat huic: *Christus ubiq₃ habet suam humanitatem, sive ubiq₃ habitat in carne, sive ubique est incarnatus & nullibi excarnatus*. Hoc itaque dum Becanus cum cæteris Jesuitis neget, negat utique Λόγος totaliter incarnatum esse,

C

esse,

esse, cum tantum respectu illius πρὸς, & in illo, in quo est humana natura, incarnatus sit, in cæteris verò infinitis non incarnatus, sed excarnatus subsistat. Quid verò est unionem hypostaticam partialiter tantum asserere, & totaliter negare, sic que contradictionem manifestam implicare, si hoc non est? Sic enim argumentamur: In quo loco, sive, ubi λόγος totus subsistens non habet suam humanam naturam, in illo loco, vel ubi, totam suam subsistentiam habet extra humanitatem:

Atqui in infinitis locis & ubi juxta sententiam Becani λόγος totus subsistens non habet suam humanam naturam.

Ergò in infinitis locis & ubi, juxta eundem Becanum λόγος totam suam subsistentiam habet extra carnem.

Porro, qui in infinitis locis, & ubi totam suam subsistentiam habet extra carnem, ille in infinitis locis & ubi non est θεάνθρωπος.

λόγος in infinitis locis & ubi totam suam subsistentiam & personam habet extra carnem, Ergò

λόγος in infinitis locis & ubi non est θεάνθρωπος.

Rursus: ubicunque λόγος non est θεάνθρωπος, ibi non est una persona cum sua carne.

Atqui in infinitis locis ac ubi λόγος non est θεάνθρωπος, Ergò in infinitis locis ac ubi λόγος non est una persona cum sua carne. Porro:

Ubi λόγος non est una persona, cum sua carne, ibi λόγος non est homo.

Atqui in infinitis locis ac ubi, λόγος non est una persona cum sua carne, Ergò

In infinitis locis & ubi λόγος non est homo. Ergò λόγος potius dicendus est nō homo, quàm homo, cum simpliciter sit non homo, & tantum secundum quid, hoc est, respectu unius particularis ubi, sit homo. Absurdissima absurda, inferentia, Filium Dei simul incarnatam & excarnatam, simul hominem & non hominem: simul personam simplicem & personam compositam.

positam esse: Cum in $\pi\delta$ humanitatis sit persona composita, in infinitis cæteris simplex, extra carnẽ, ut ab æterno & in veteri Testamento fuit. Similitudo ab anima desumpta & repetita, nihil explicat vel probat: Nam anima cum capite non constituit unam personam, sed cum toto corpore ut hominem absolvit, sic personam constituit.

XX. X. X. Progreditur Becanus §. 10. *Tertia objectio sumitur ab inconvenienti. Nam si humanitas Christi non est ubiq₃, sequitur verbum divinum moveri localiter, quod est absurdum: sequela patet, quia humanitas non est ubiq₃, Ergo potest moveri de loco in locum. Ergo cum movetur, vel defert secum personam verbi sibi unitam, vel non. Si defert movetur persona verbi, si non defert, desinit esse unita persona verbi. Utrumq₃ absurdum est. Respondeo (addit Becanus) Humanitas Christi quando movetur de loco in locum, non defert secum personam verbi, quia ubiq₃ est, sed defert secum unionem cum personâ verbi, quæ non est ubiq₃.*

XL. Ubi primum notandum venit, nos illud ubiq₃ sive omnipræsentiam intelligere de præsentia humanitatis ad λόγος, quæ semper fuit etiam in statu exinanitionis, non de omnipræsentia ad creaturas, quæ primum cæpit post resurrectionem & ascensionem in cælos, per sessionem ad dexteram Dei. Replicamus ergo, distinguendum esse inter unionem personalem humanitatis cum λόγος, per quam λόγος dicitur factus caro, Job. 1. v. 14. & inter unionem sustentativam omnium rerum cum λόγος, per quam λόγος nequaquam dicitur, vel dici potest factus caro, sed tantum creatura in λόγος vivere, moveri, esse, Act. 17. v. 28. Quod attinet hanc, concedimus, quod motâ creaturâ non statim moveatur persona, cum nulla ibi sit unio personalis. An verò, si λόγος non ubique secum habere suam humanitatem, statuatur, non simul motâ humanitate, ipsam personam moveri affirmandum sit, ad huc sub iudice is est. Certè negari non potest, quod λόγος ejusque persona ubicunq₃ est, ibi totus est, Ergo totus est in humanitate. Quare statuendum erit, aut humanam naturam ita vivere, moveri, & esse in persona λόγος, ut sunt cæteræ creaturæ, & sic non personaliter, sed tantum ut sustentente-

sentetur: aut dicendum, quod humana natura in certo πρῶτο personaliter unita subsistens totum λόγον in se habeat & totum habeat extra se: Proindeque totus λόγος sit in toto λόγω: Nempè totus λόγος, qui habitat in humana natura, sit in toto λόγω, qui non inhabitet in humanâ naturâ. Ergò jam quando humana natura movetur in omnipræsente λόγω per diversa loca & ubi, tum vel ipse totus λόγος, qui est in humanâ naturâ & cum ipsâ personaliter unitus, per diversa illa loca & ubi cum suâ humanâ naturâ movetur: vel dicendum est, quòd in ejusmodi motione locali humanâ naturâ subinde alio atque alio modo juxta diversa ubi & loca personaliter solvatur à λόγω, & rursus alio modo cum ipso uniat. Quod Becani discipulis ponderandum relinquimus.

Præstantissimo atq; Literatissimo Dn. Respondenti amico suo.

Lis magna est carnis Christi præsentia: Turbis
Calvini, & Papæ multum agitata strophis.
Sed certent alii, Christi præsentia certa est.

Hanc, REUTZI, sanctâ mente tuere. Vale.

l. m. g. s. scribebat

M. JOHANNES SCHARFIUS Profess.
publ. Witteberg.

Purima de Christo Jovâ falsissima fingunt
Dogmata calva cohors, turgida rassa cohors.
Fingunt falsa quidem: verum MARTINUS acutè
Discutit, ac scitè hoc doctè Philippe probas.
Perge ita nec metuas pro CHRISTO sumere tela:
Sic tibi pugnanti CHRISTUS amicus erit.

Φιλίας ἐνεκα

f.

M. JOHANNES BORNEMAN
Halberst. Saxo.

F I N I S.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







Farbkarte #13

B.I.G.

ATIO DECIMA
am Confessionem

continens
IN ARTICULI III.

De
MUNICA.

INIPRAESENTIAE.

Proposita
Academiâ wittebergensi,

Æ S I D E

MARTINI, SS. Th.


io, Facult. Theol. Seniore,
Præposito, ac p. t.
emix Rectore,

PONDENTE

PPO REUTZIO

no - Pomerano.

Auditorio Collegii veteris
diem 30. Novembr.



TEBERGÆ

ALOMONIS AVERBACH,
M DC XXVIII